12.

Illustri & Nobiliſsimo Domino,

D.^{no} CONSTANTINO HUGENIO, Equiti;
ZULECHEMI & ZEELHEMI Toparchæ, &c.
CELSISSIMO ARAUSIONENSIUM PRINCIPI
À Consiliis & Secretis. &c.

Robertus Keuchenius, Jctus, S.P.D.

Miraberis forsan Illustris & Nobiliſsime Domine, quod hocce Poëmatio primum mihi ad te aditum sternam; & ut ad perlegendum vaces, officiosè exorem. Fecit Augustiſsimi Regis Felix & Pia Majestas, quam ultra mortale miraculum Majorum Sceptris in hunc diem restitutam, unanimi voto demiramur. Fecit Illustris & Nobiliſsimi Nominis Tui stupenda fama, quâ Musarúm Antistitem Te toties venerata fuit doctiſsimorúm hominum cohors, ego non poſsum, quin omni religioso alloquio compellem. Quod ipsum feci minus invitus, quum nunquam meliore voto fieri poſse viderem. Quamvis autem non merear, ut rescripto me aliquo dignêre, ſubmiſsus tamen hoc ab eximiâ Tuâ in eruditos humanitate petere ausim, ut tantillo me voto frustrari graveris. Si spes ea non decollabit, virgulam divinam tanti haud fecerim. Utinam pari adfectû Symbolicum hoc, quod extra ingenii acumen & industriam exhibemus, animum erga Te meum agnosceres! Οὐ κατὰ τύχην τὴν σὴν, Σέβαστε, εἰ πλέον εἶχον, πλέον δίδουν. Habe tamen venerando Nomini Tuo sacrum, & hanc nostram in Te animi quamvis imparem significationem pro tantillo boni consule. Arnhemii Gelror. à. d. XIIII. Kalend. Octobr. Julian. CIƆ IƆCLX.

Den Doorluchtigen en Hoogh-Edelen
Heere,

Den Heere, CONSTANTYN HUIGENS,
Ridder. Heere van Zuilichem, Zeel-
hem, &c. Raadt-Pensionaris van
Zijne Hoogh-heit, de Prince van
Orangien, &c.

In 's Graaven Haage.

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 14-16
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0488

IN SYMBOLUM

Illustris & Nobilissimi Domini,

D. CONSTANTINI HUGENII,
Equitis, ZULECHEMI & ZEELHEMI Toparchæ, &c. CELSISSIMO ARAUSIONENSIUM PRINCIPI à Consiliis & Secretis. &c.

Cæsara miramur, CONSTANTINUMQUE Poëtam;
Cæsaris illius nomina, Vatis erunt.
De CONSTANTINO nobis nil Cæsare constet,
Dum vetat Hunc CONSTANS nomine Musa mori:
Et Pius, & CONSTANS cum CONSTANTINUS ametur;
Quam bene CONSTANTER, quo sibi CONSTET, amat.

Rob. Keuchenius, fecit.

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 14-16
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0488